

Carie consumtae tibiae notabilis jactura : sub feliciori empiria, naturae maxime beneficio restituta, cujus considerationem medicam historico-dogmaticam ... / autor August. Theodorus Brotbeck.

Contributors

Brotbeck, August Theodor.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Schrammianis, [1756]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/z69cc95k>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

C A R I E
 CONSVMTAE TIBIAE
 NOTABILIS IACTVRA,

SVB
 FELICIORI EMPIRIA, NATVRAE
 MAXIME BENEFICIO, RESTITVTA,
 CVIVS
 CONSIDERATIONEM MEDICAM HISTORICO-DOGMATICAM,

P R A E S I D E
 GEORG. FRIDER. SIGWART
 PHILOSOPHIAE ET MEDIC. DOCT. CHIRVRG.
 ET ANATOM. PROF. PVBL. ORDINAR.
 FACVLTATIS MEDIC. SENIORE
 ET DECANO,

PRO GRADV DOCTORIS RITE CAPESSENDO
 SPECIMINIS LOCO EXHIBVIT

A V T O R
 AVGVST. THEODORVS BROTBECK,
 HEIDENHEIMENSIS,

DIE MAII ANNO MDCCLVI.

T V B I N G A E,
 LITERIS SCHRAMMIANIS.

EMPIRIA *haud raro*, NATURA *semper*,
superant ARTEM.

DIE MALL ANNO MDCCCLV

TABINGAR,
LITERIS SCHRAMMANNIS.



PRAEFATIO.



Quid sentis B. L. rubrum inspiciens dissertationis hujus quod juxta *notabilem tibiæ cariosæ jacturam* considerandam fumo? Nonne hoc, obvertis, thema est *chirurgicum*? quid id ad Medicinæ cultorem? Atat quid ad alios, respondeo, *Chirurgia*? Nonne, obsecro, *Chirurgia* circa morbos occupatur removendos? Quid ergo *cognitio chirurgica*, si non *medica*? *Medica* verò *Medicos*, hercle! decent condecentque, Dolendum sane est eorum hodiernum multos, qui *Chirurgos* se profitentur, non esse *Chirurgos medicos*, h. e. esse *non Chirurgos*, sed *chirurgastros*, vel alio nomine digniores. Ecquis mecum non dolet, nobilissimam hancce *Medicinæ* partem hodie fere ad barbitonfores solos esse detrusam, qui sæpissime nil minùs quàm *Chirurgiam* callent et

Chirurgi sunt, *ut asini ad lyras*. Hinc ista damna, non privata solum sed et publica, & si non publicis, haud aliis, amplius extirpanda institutis. Quam igitur necessarium est, rebus sic stantibus, *Medicos*, qui alteram *Medicinæ* profitentur partem, huic quoque majorem, quam vulgò fieri solet, navare operam. Turpissimum saltem est, *illos* rudiores sæpe esse in hac re, quam ipsi haud rarò sunt infimæ notæ *Chirurgastri*. Altera *Medicinæ* pars *Chirurgia* est. Utamque itaque addiscere, eum oportet, qui *Medicinam* addiscere vult non mutilatam. Hæc scientiæ & conscientiæ ratio mihi semper inculcabat *Chirurgiæ* studium cum reliquo *Medicinæ* studio combinare & utrique, quoad licuit, meas consecrare vires. Cum de themate ex alterutra parte speciminis locò elaborandò sollicitus eram, adquiescere tandem in isto volui casu notabili, quem DN. PRÆSES, visitatione rerum medicarum *Nagoltæ* proximè occupatus, expertus est mihiq; obtulit. Hòc sine ut plenam atque completam morbi historiam acciperemus, ad nutum DN. PRÆSIDIS, *Patroni & Præceptoris mei æternum venerandi*, ipsam ægram restitutam ejusque parentes & *Chirurgum*, qui illam tractaverat, adii & quas potui, morbi circumstantias exactiùs exploravi. Quò factò nullus amplius dubitavi

dignum

dignum fore hunc casum, qui communicetur publico. Faxit supremum in coelis numen, ut prima hæcce conamina cedant in nominis sui gloriam inque nostros nostrorumque agrorum usus locupletissimos.

Præcognoscenda.

§. 1.

Id circa quod versatur præsenstractatio, ut ex *titulo* patet, est *consideratio medica historico-dogmatica*, quâ sistitur *carie consumptæ tibiæ notabilis jactura*, sub *feliciori tamen empiria*, *naturæ maximè beneficiò*, *restituta*.

§. 2. *Ufus* hujus (§. 1.) *thematistheoreticus* in propatulo est. Nec minoris momenti ejus est *usus practicus*, si vel solùm id ex substrato casu addisceremus, quâ fiat, ut *empiria* & *natura superet artem*, *illa quidem haud rarò*, *hæc tantùm non semper*.

§. 3. Neque politiori dicendi genere exercitatus, neque ad rigorosiùs philosophicam exhibendam tractationem natus, rem præsentem adgredior. Res dicam, non verba. Dicam eas, quoad licet, *ordinatè & distinctè*. Etiam si PRÆSIDIS *vestigia* assequi non possim, quærere ista tamen licebit in veri nominis *analytico-systematica Medicina*. Quis enim vitio vertet discipuleum optimi Præceptoris ob oculos habere exemplum. Ceterùm ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

§. 4. Dictum objectum (§. 1.) haud inutile (§. 2.) hoc (§. 3.) modò tractandum, involvit *partim* historicam *partim* dogmaticam considerationem hujus cariosæ tibiæ, quoad jactu-

ram suam notabilem & felicem ejusdem restitutionem instituendam.

§. 5. Ab hac (§. 4.) igitur *objecti* præsentis duplici varietate universa *tractatio* in *duas* abit *partes* principales, quarum *una* sistet *historicam*, *altera* verò considerationem notabilis hujus casus *dogmaticam*.

§. 6. *Ordo* dictarum (§. 5.) *partium* sponte patet. Historia hujus morbi supponitur in consideratione ipsius dogmatica rite instituenda : justò itaque ordine jam præmittitur

P A R S I.

HISTORIA MORBI SUBSTRATI.

§. 7. *Historicæ* cujusvis *cognitionis* præcipua fundamenta jacta jam sunt in Dissert. *Præsidis de Tripede Haiterbacensi* §. 9-22.

§. 8. Præsens (§. 6.) historia supponit *historiam subjecti* sui quoad *temperamentum*, *vitæ genus*, *diætam* & præsertim quoad *morbos prægressos*. Quos articulos demum excipere potest plenior planiorque præsentis morbi historia.

§. 9. Hæc ipsa (§. 8.) verò præterea comprehendet præcipua ipsius momenta quæ ex observatione adhuc haberi possunt, quoad hujus morbi *conditionem internam*, *causas*, *symptomata* & *eventus*.

§. 10. Fuit autem (§. 8.) ægra, *Anna Maria Killingerin*, figuli Haiterbacensis filia, virago an. 22. temperamenti cholericici. Vitæ genere utitur valde laboriosò, diætâ more hujus sortis hominum irregulari, crassâ. Ad erysipelas valde
alios

aliàs erat proclivis. Tributum lunare non solvebat debitò tempore nec justâ copiâ. Quam ob causam etiam sæpissime variis ophthalmiis, cephalalgis, crustrâ lacteâ, & quod notatu maximè dignum, annò ante hoc infortunium manuum doloribus atrocioribus afflicta erat & eò ipso tempore, quò primus Chirurgus vulnera pedis perfanare & consolidare studebat, oculi mox laborabant concitatò humorum affluxu huncque excipiente insigniore ophthalmiâ. Præterea nullos alios morbos notabiliores experta est. Reliquum vitæ curriculum modestum erat atque honestum, ut nulla superesse possit suspicio alicujus infectionis venereæ.

§. 11. Hæc (§. 10.) postquam ante tres & quod excurrit, annos jussu parentum tempore autumnali æere inclementi, humidò, frigidò, linum & cannabem evulserat, vesperi redux doloribus pedis sinistri vehementissimis, lancinantibus, rodentibus & pungentibus à junctura ossis tibiæ ad tarfi articulum usque corripiebatur, subsequente inflammatione & tumore.

§. 12. Hisce (§. 11.) obviam ibant remediis sic dictis domesticis, v. gr: cortice sambuci medianò & farinâ fabarum mediante chartâ cæsiâ adplicatis, eò tamen sinistrò effectû, ut post continuam exacerbata inflammationem duo sese offerebant foraminula, unum infra malleolum externum, alterum vero in parte superiori pedis affecti.

§. 13. Suasu ergo (§. 12.) Chirurgi epithemata humida applicabantur, malò semper in pejus ruente. Progressu curationis ubique ineptæ & in integrum annum protractæ
sensum

fenfim fenfimque & indies nova foraminula in latere interiori pedis affecti adparebant. Unde alium Chirurgum vocabant, qui verò confusè atque perplexè applicatorum epithematum humidorum continuatione eâdem oberrabat lyrâ.

§. 14. Filia tandem (§. 12.-13.) ex consilio matris sudorem procurans & dolorum impatiens variisque corporis jactationibus levamen quærens ex improvîso fracturam tibiæ prope hujus extremitatem superiorem experiebatur, sine dolore quidem valde notabili,

§. 15. Noviter accersitus Chirurgus nil sollicitus de complicatâ hac carie, fracturam vulgari modo tractabat. Sub hac medicatione tam in media quàm in inferiore pedis parte prope juncturam tarfi fistulosa quædam ulcera in conspectum veniebant. Postea Chirurgus, antea solus, nunc experientissimi & dexterrimi Physici Dn. LIC. BRECHTII consiliis adjutus, sat multa ad corruptionem cariosam removendam efficacia tentabat. Res tamen ex voto non succedebat, sed dolor punctorius, materia purulenta, oleosa, fœtida, fusci & plumbei coloris, indicabant, malum jam altiores egisse radices totamque fere tibiam exesam esse atque corruptam. Hinc statuebatur aliud non superesse auxilium, quàm pedis amputationem. Hanc recusans ægra denuo usum epithematum suâsu supra (§. 13.) dictorum Chirurgorum ultra annum continuabat.

§. 16. Accedit tandem tertius Chirurgus Dn. Hainzmann promittens restitutionem, si ipsi quidem concederent os tibiæ corruptæ eximere. Veniâ ipsi facile datâ operationem

nem

nem is animosè instituebat, factis incisionibus necessariis, unâ juxta longitudinem pedis in parte ejus laterali interna, à genu ad tarsum usque, productâ, alterâ inferius transversim à malleolo interno anteriora versus factâ. Remotis integumentis & ex parte musculis quoque, forcipis subsidiô frustum insigne & 9-10. pollices transversos longum ex tibiæ parte superiore mox emovebat, relictô tamen illius capite. Deinde quicquid corruptum erat per minora fragmenta successive extrahebat. In inferiore tibiæ parte aliqua portio supererat adhuc sana, licet corruptio ex altero latere ad usque malleolum progrediebatur, quem proinde etiam planè extirpabat.

§. 17. Hisce (§. 16.) omnibus peractis vulnera & ulcera mundificantibus solitis adpositôque emplastrô defensivô tractabat, heroicô potiùs quàm ad artis regulas exquisitiùs compositô ausu. Res interim optimè cessit. Ulcera exsiccabant, fistulæ obliterabantur, laudabile accedebat pus sanie in hanc laudabiliorem indolem mututâ, reparabantur partes molles, succrescebat tibia, pede denique in integrum restitutô, curatione per semestrem temporis intervallum durante.

§. 18. Finem curationi huic (§. 16. - 17.) rectè imponebat adplicatione *fasciæ circularis obtusæ*, s. *asciæ*, GALLIS *dolore* dictæ, factæ nempe ductibus spiralibus angustioribus, quibus se distinguit à *repente*, GALLIS *rampant*, quæ rarioribus atque ab invicem remotioribus fieri solet. *vid. cel. HEIST: Chirurg. P. III. C. I. §. IV.* His omnibus addidit infusum medicatum ex tenerioribus pini conis & ligno san-

Et o, per aliquot post curationem tempus continuandum.

§. 19. Ut certiores fieremus de hisce (§. 10-18) omnibus præteritô mense februariô me contuli civitatem Haiterba-censem, ut testis eorum esse possem oculatus, ubi observavi: pedem illum debitâ iterum quantitate, & pristinô robore esse præditum, ut istocum æque bene ac altero saltare, graviora pondera sustinere & quosvis difficiles labores rusticos subire & perferre possit sine impedimento.

§. 20. Præterea (§. 19.) nunquam ullam amplius dolorem se hæctenus sensisse asserit, perhibens, sese ita habere, ac si nunquam hõc laborasset malô, exceptô solô alicujus tensionis sensu circa tibiæ cum tarso coarticulationem, quô tamen nullatenus impeditur in reliquis, & pedis, & digitorum pedis, motibus exercendis.

§. 21. Quod ad figuram pedis, in tibiæ parte superiore posteriore vix aliqua tangi potest eminentia à callo ibi relicta.

§. 22. Ita vero (§. 20. 21.) restituta hæc ægra in hunc usque diem optime se habet. Menses rite fluunt, justâ copiâ, conveniente tempore & ordine. Reliqua corporis constitutio sana constansque videtur. Qua ratione & unde præcipue iterum deperdita succreverit tibia, non observavit Chirurgus.

§. 23. Tantùm de historia substrati morbi (§. 10-22), nunc quoque dogmaticâ epicrifi ultrâ evolvendi. Succedit itaque ad præscriptum (§. 10.) eundemque justum (§. 11.) tractationis nostræ ordinem illius.

PARS

P A R S. II.

CONSIDERATIO MORBI SUBSTRATI DOGMATICA.

§. 24. Dogmata nostra medica qualiacunque sunt partim theoretica, partim practica. Hæc circa methodum medendi occupantur; ista sunt: partim nosologica, quibus veras & genuinas morborum notiones exquirimus, partim ætiologica quibus eorum causas indagamus, partim symptomatologica, queis morborum effectus expendimus, partim semiologica, ubi signa, partim denique prognostologica, ubi ultimos eorum consideramus eventus, quando à nobis præfagiendum est, num in sanitatem, num in alios morbos, numve in mortem plane abituri sint nobis oblatis morbi. Conf: diss: PRÆSIDIS, proxime ventilata, *de polyæmiæ nosologia in præfat.* & §. 11. - 14.

§. 25. Haud equidem jam molior plenam morbi, cujus exemplum exhibet in parte prima communicata historia, doctrinam pathologico - practicam per omnes dictos (§. 24.) articulos ad solitam PRÆSIDIS methodum enucleandam. Id tamen agam, ut præcipua ista momenta ob oculos habens præsentem casum ulteriori examini subjiciam: Hòc fine eò, quò, præmissam commemoravi historiam, ordine sequentia quoque propositurus sum.

§. 26. Ante omnia (§. 25.) verò determinandum erit, qualis is fuerit morbus, quò ægra nostra laboravit. Ambiguum videri posset, num *spina ventosa*, an vero *caries*, fuerit. Valde enim congeneres hi sunt morbi. *Cariam* fuisse,

à qua hæc exesa fuit tibia, nullus dubito. Id ut manifestum evadat quædam hic inferenda erunt, de utriusque morbi conditione, & inde petenda unius ab altero differentia.

§. 27. Verboſas sæpe magis eſſe quàm aptas & rebus convenientes multorum Pathologorum locutiones, multis vicibus ad oculos demonſtravit PRÆSES AUDITORI-
BUS ſuis, & in publicis, & privatis ſuis, prælectionibus. Nominatorum (§. 26.) morborum tot tamque diverſæ denominationes & determinationes idem teſtantur luculenter. Nunc enim de *fideratione offium*, nunc de *teredine vid. diſſ:* G. W. WEDELII de *carie offium*. C. I. §. 2, nunc de *offe vitiato in genere*, v. CELS: L. III. C. 2. nunc de *gan- græna*, nunc de *cancro offium* v. PANDOLFINI, *Itali, tract. de ſpina ventofa* à MERCKLINO editus Norimb. 1674. p. 258. ſqq. & BONETI *obſervat. l. ſect.* nunc de *cor- ruptione ulcerofa offium*, ut PANDOLFINUS l. c. nunc cum ARABIBUS de *ventofitate*, de *ſpina ventofa*, *ſpinæ ventofitate*, nunc cum GRÆCIS de *Pædarthrocace*, ut MARC. MURET. SEVERINUS in *opere abſceſſibus* conf. MANG. *Biblioth. Med. tract. Tom. 3. L. 13. p. 659.* nunc de *mortificatione offium*, Von der Erſterbung der Kno- chen. v. ESCHENB. *Chir. §. 145.* nunc de *carie in genere*, nunc de *carie offium in ſpecie* v. HEIST. *Chir. P. I. a. V. C. VIII. §. III.* promiſcue loquuntur. Prætereo alia diverſiſ- ſima nomina extra Latium & inter nos quoque uſitata.

§. 28. Ex omnibus citatis (§. 27.) denominationibus uſita-
rior eſt *cariei* terminus, quô inſuper ſatis apte exprimitur,

mor-

morbus, quem volunt. Desumpta nempe hæc est denominatio à *cavie* in lignis à vermiculis vel aliò modò arrosis erosisque, quorum similitudinem quandam referunt ossa hòc morbò correpta, utpote quæ solutis disjectisque, quibus alias cohærent, particulis solò affrictu in pulverem fatiscunt & innumeris foraminulis perforata conspiciuntur; v. G. W. WEDELII *Patbol. med. p. m.* 108. Perinde verò est, utrum à carendo, vel aliunde dicatur, satis est, tum de vetustate, tum de exesione lignorum, prædicari, hinc & ossium.

§. 29. *Spina* verò *ventosa* (§. 26.) minùs usitatè dicitur, & *spèciem* potiùs quandam dicit *caviei*, quàm ipsam universali nomine designat, scilicet *caviem internam* h. e. ab interioribus ad exteriora partium durarum progredientem. Procul dubio hoc nomen effectum est, ab isto hujus morbi symptomate, quod eundem ferè imprimit dolorem ac spinæ alicujus punctura. Ventosam autem exinde forte nuncuparunt, quoniam cum inflatione velut conjuncta est. vid. MANGET. *Biblioth.* supra (§. 27.) citata.

§. 30. Juxta *Artis characteristicæ* igitur (§. 28-29.) convenientem terminologiam pariter ac usum loquendi frequentiore *caviei* terminum retinendum esse, ex allatis §. (28-29.) abunde patescit.

§. 31. *Caries* itaque (§. 30.) strictius dicta, quatenus nempe excludit aliam qualemcunque inanimatorum *caviem* (§. 28.) non est aliud, quàm corruptio partium durarum corporis animati ulcerosa, brevius: *ulcus partium durarum*.

§. 32. Non jam vacat, in eam excurrere explicationem, quâ PRÆSES singularem illam corruptionis purulentæ ab ulcere differentiam, & in theoria, & in praxi chirurgica, observatu adeò utilem atque necessariam, inculcare solet. Suffecerit hîc adnotasse *ulcerosam* & *cariosam* corruptionem essentialiter nequaquam & vix sede suâ differre. Unde CEL. HEISTER. in *Chirurg.* sua majori *P. I. L. V. C. VIII. §. II.* rectè inquit, *cariam quoddam velut ossium ulcus esse*, licet cum modò laudato Autore non planè consentire possim, quando l. c. mox dicit, *ejusmodi ulcus glutinatum factò prius abscessu reverti.* Abscessus enim non cadit in duriores partes, ubi nullum pus efformatur veri nominis tale.

§. 33. *Caries* proinde (§. 32.) germanice aptè nuncupatur: ein Geschwür der harten Theile, ulcus partium durarum, incompletè enim diceretur: ein Bein-Geschwür, ulcus ossium, quoniam quoque cadit in cartilagineas ideoque rectè dispescitur in *cariam ossium*, & in *cariam cartilagineum*. Ita verò exprimitur ipsâ jam denominatione, quod est de essentia hujus morbi.

§. 34. Hanc (§. 33.) data (§. 31.) brevior *cariæ* definitio satis superque innuit. *Ulcus* est ejusmodi corruptio serosolymphatica, quæ ipsas partes solidas in consensum trahit eroditque, five itaque in durioribus, five in mollioribus, extiterit. Inde dividitur in *ulcus strictius dictum*, quod infidet partibus mollioribus, si non planè, maximâ tamen parte, exsanguibus & *cariam*, quæ est ulcus durarum partium, ubi vel nullus sanguis vel parum huius laticis rubicundi con-

cur.

currit. Ita vero profectò planè peculiaris indolis suboritur corruptio, quàm alia, aliò quoque modò, considerata & tractanda.

§. 35. *Caries*, seu (§. 31.) partium durarum ulcerosa corruptio vel ab interiori extrorsùm vel introrsùm ab exteriori harum partium substantia procedit. Cujus varietatis fundamentò nititur ejus *divisio* in *cariam internam* & *externam*, seu in *cariam strictissimè* dictam et *spinam ventosam* (§. 29.). Notiones ex antecedentibus facile supplentur. Mitto alias *cariæ varietates* aliunde petendas, nec ad scopum præsentem pertinentes.

§. 36. Ex adductis (§. 35.) enim jam judicatu est facillimum quali laboraverit *cariæ* ægra nostra de qua hic (§. 26.) dispicitur. Exesa nempe est ejus tibia à *cariæ externa* s. *cariæ strictius dicta*. Talem nec *internam*, s. *spinam ventosam*, in illa fuisse, omnia in historia hujus morbi dicta docent uberrimè, tam antecedentia, quàm concomitantia & consequentia. Causæ manifestæ aderant externæ (§. 11. 12. 13.), refrigerationem excipiebat erysipelas, inflammatio hæc suffocata profundiora petebat & à superficie ad partes cuti subjectas progrediebatur, hæ abibant in corruptionem, corruptio hæc descendebat ad tibiam usque hancque unà inficiebat. Hæc igitur morborum successionem huic tibiæ extus inferebatur caries.

§. 37. Idem (§. 36.) docet ipsa celerior hujus morbi invasio (§. 14.), condocet ejusdem curatio, maximè adeo prompta (§. 17.). Lentiùs accedit & longe tardiori progressu sese manifestat *spina ventosa*. Hæc etiam vel nunquam curationem admit-

admittit, vel sane longè tardiore. Taceo nullam hîc ab initio adhibitam fuisse, quâ ejusmodi profundum malum potuisset removeri.

§. 38. Objici quidem posset, feminam, de qua agitur, valde tamen cacochymicam fuisse juxta indicata (§. 10.). Verùm enim veró primo non tali laboravit dyscrasia humorum (§. 11.), quæ tantum in generare potuisset malum, deinde repugnant ipsa modo allata (§. 36. 37.).

§. 39. *Nosologica* (§. 26.) addo nunc *ætiologicam* (§. 24.) considerationem *cariæ præsentis*, præsentis repeto, ex indicato (§. 28.) sine nec extra hoc individuum consideratae inque aliis aliis modis multis possibilis.

§. 40. En! itaque (§. 39.) mali hujus causas, harumque causarum seriem, quâ se invicem excipiebant. In femina hac menses feriùs, quàm convenit, erumpebant, erumpentes erant anomali (§. 10.). Eorum ataxia inducebat humorum dyscrasiam, proclivitatem inde majorem ad erysipelaceas inflammationes. Accedebant tempestatis injuriæ (§. 11.), ær humido frigidus, ejusmodi subjectis præsertim infensus. Huic exposita virago corripiebatur erysipelate, ad pedem determinatô & statim cum atrocioribus conjunctô doloribus, quorum causa concurrens erat præsens dyscrasia humorum, quai procul dubio acredinem jam conceperant. Dolorifica hæc pathemata in majorem motum ciebant sensiles partes, hac irritatione accelerabatur major humorum affluxus, hîc concitatô ingruerat humorum in pede adfecto oppletio atque stagnatio.

§. 41. Sub hoc (§. 40.) itaque causarum concursu natura hætenus sibi relicta jam satis periclitabatur. Verùm suis malis non contenti mortales sibi met ipsis plura plerumque accersere & mala malis augere adlaborant in præpostera sanitatis cura. Hinc in ætiologiis nostris medicis præter reliquas morborum causas præcipuum sibi vindicant locum perversa ista atque frivola tentamina, quibus, vel ipsi ægri, vel adstantes, vel alii *verum medicarum expertes, nefandâ audaciâ morbos sibi sumunt curandos, quos, quidve circa illos agendum, non minùs ignorant, ac simia ista quadrupes ad bipedis res fraudesque socia ex communi fori theatro medicaminum dispensatrix.*

§. 42. Quàm infelici conatu fiant hæc talia (§. 41.) objectum docet exemplum. Primum, ut assolet, auxilium à medio petebant, ut ajunt, domestico (§. 12.)- Innocuum illud videri posset. Nec negaverim sine damno idem interdum adplicari. Verùm quæ unâ vice innocua sunt, aliâ sæpe evadunt nocentissima. Commune hoc est fatum mediorum domestico- rum, aliàs in se non planè spernendorum sed justò tempore & locò non adplicatorum. Indicatum medicamentum ad supprimendam, quæ hîc potius promoveri debuisset, transpirationem adeoque ita suffocandam hanc atrocio- rem & profundiorè inflammationem haud parum profecto contulit. Quid, quæso, non nocebunt alii vulgares ejusmodi pulve- res plura alia obstruentia & adstringentia continentes? Quid officinalis iste quoque *pulvis, erysipelatodes MYNSICHTI* in no- stra pharmacopœa inscriptus præscriptusque?

§. 43. Si quando domestica, vel nil juvant, vel morbos pe-
C
jores

jores reddunt, miseri, quàm *Medicis & Chirurgis, veri nominis talibus, Medicastris & Chirurgastris* in republica, vel *ordinariis, vel extraordinariis*, circumforaneos vocamus posteriores, prioribus haud inferiores, aliisque morborum artificibus, suam committere malunt salutem. Nec, quod mirandum, non plebis solius hi sunt mores, sed & eorum haud rarò, qui ultra plebem sapere volunt & videntur sapere. Mitiùs ergo sentiendum est de quæsito ab ægra nostra apud alios auxilio, ut ut dolenda sint fata plebis, quæ ad hos istosve infelices artifices centenis vicibus prius confugit, quàm unâ ad artis peritum. Tali, si voluisset, uti potuisset, præsens morbosæ. Sed justo ferius (§. 15.) illius implorabat auxilium nec prius, quàm derelicta demum à domesticis non solum mediis sed & à chirurgis suis, spe omni ad irritum cadente, malò ad extrema deductò, pede ferè plane deperditò, ad ossa usque consumtò, erosò, diffractò denique (§. 12. 14).

§. 44. Accipe reliquum (§. 42.) morbi præsentis progressum artificialem, in hujus ætiologia observandum (§. 41). Præcipuæ *causæ* hujus mali *artificiales* omnino in duorum istorum Chirurgastrorum medicationibus quærendæ sunt. Primus & secundus (§. 13.) eundem errabant errorem, epithemata sua humida applicando vixque aliud quid agendo. Plura enim & longe alia gravior hic morbus postulabat auxilia. Hæc ignorabant, illa damnosè adplicabant, saltem ab initio. Utroque modò peccabant, posteriori autem magis, quàm priori. Quantumvis enim ex ignorantia utrumque factum esse, non dubitem, *ignorantia tamen vincibilis cul-*

pa non vacat. Quin - imò ne malitiam quidem omnem abesse judico ab ejusmodi frivolis conaminibus. Quis enim crediderit, tantam ejusmodi humunculorum esse stupiditatem, ut suam plane ignorent ignorantiam, nec intelligant, se non intelligere, quæ ad hosce debite tractandos morbos requiruntur & impune tamen baud fieri posse experimenta per mortes.

§. 45. Ceterum vulgaria ista (§. 44.) humectantia neuti-
quam in talibus convenire inflammationibus, omnes ocula-
tiores compertum habent Practici & in suis ubique docent
scriptis. Id jam fusiùs probare, ad præsentem non spectat
finem. Suffecerit instar omnium hic allegasse CEL. SAM.
SCHARSCHMIDIUM, qui in *Instit. studii Medico-chi-
rurgici P. III. Sect. C. II. §. 3. n. 1. p. m. 573.* de nocua hu-
meçantium in erysipelate operatione hoc addit monitum:
Ubrigens hat man sich zu hüten vor allen nassen Medicamen-
ten, dann durch die Nässe werden die Theile relaxiret, der-
weil kan keine Zertheilung geschehen, sondern es folgen Ge-
schwüre. Id quod accidit in præsentì ægra.

§. 46. Quam ineptè porro circa pedis hujus ulceroso-fistu-
loso-cariosi fracturam res suas egerit Chirurgus iste secundus
(§. 13.) qui de complicato statu morbofo nil sollicitus fracturam
hanc vulgari modò tractari & conglutinari iterum posse ima-
ginabatur. Proh turpem ignorantiam! Proh! scelerosa cona-
mina! Ad hæc nil proficit vel optimus deligationis adpa-
ratus. Nil hîc valent ferulæ, nil fasciæ vel octodecim capiti-
bus instructæ. Id potiùs agendum est, ut ita fracta ossa

diffringantur ultrà , ut effringantur corrupta , nulla arte amplius consolidanda. Quod recte judicavit tertius chirurgus (§. 16).

§. 47. Ita vero (§. 46.) penultimus chirurgus, si non ignorantiae & erroris , irriti tamen tentaminis sui , confcius, nolens volens tandem inopiâ suâ coactus , admittere debebat Medici praesidium (§. 15), quô miseram hanc & tamdiu incongruâ arte divexatam feminam hætenus carere oportebat, ex dictorum Chirurgastrorum potius, ut ominor, quàm ex propria culpa. Ejusmodi enim artifices solitô more, nemini non facile obviô sine & quôvis modô detrectant Medici praesentiam , donec omnia in summis versantur angustiis , sub quibus demum effugium quærent , re quasi bene gestâ, ne mali , quod incongruâ medicatione suâ irremedicabile reddiderunt , mortisque pedissequæ , autores videantur, vel, si videntur, ne videantur esse soli, ita simul recidente culpâ in Medicum eumque sæpe artis peritum, ni is quidem probe prospexerit famæ suæ. Quam igitur difficile suam tuebuntur famam, quàm longè aberit, ut ejusmodi effugiant oppropria , ii Physicorum, qui ipsimet rudes sunt in rebus chirurgicis & ipsis chirurgastris istis usque dolosis imperitiores.

§. 48. Sed hæc (§. 47.) transeant cum ceteris erroribus. Dispiciamus quo consultum fuerit modô pedi, quem ob oculos habemus, carioso ipsô tandem præsentente Medicô. Alia omnino tum temporis ad illius consilia instituebatur mendendi ratio. Cariem is subesse mox intelligebat. Remotô

itaque frustra solius fracturae causâ adplicatô adparatu chirurgicô vulgari cariosam moliebatur remove corruptionem. Hunc in finem ordinabat adplicationem efficaciorum mediorum remotioni cariei dicatorum, quæ brevitatis causa hic repetere nolo. Atat tempestivè satis intelligebat gravius & profundius hoc esse malum, quam quod istis possit removeri. Totam ferè corruptam esse tibiam rectè judicabat. Ecquid tum postea? Desperabat de pedis hujus restitutione, hujus exsper de amputatione ejus cogitabat in qua spes omnis nunc ipsi consistebat: Hanc itaque suadebat, urgebat, sed frustra. Femina enim fortè fortunâ & præter omnem expectationem in salutem suam inobediens illam recusabat (§. 15).

§. 49. Videri posset officio suo ita (§. 48.) non ab omni parte satisfecisse laudatum Medicum. Posset inde in discrimen trahi ipsius fama, hîc pro merito tuenda. Eccur enim, posset forte quis ipsi opprobrire, cur non de ulteriori ope, de corruptæ prius tibiæ, quàm de totius pedis, remotione sollicitus fuit. Ni enim ægra ipsius consilio repugnasset, sin ipsi pes cariosus fuisset resectus, unipes nunc esset & fulcrô munita artificiali incedere deberet, quocum sanè mirè arietans & ridicule tumultuosa fuisset saltatrix (§. 19.) nec ut jamjam ad labores suos peragendos apta operaria plebeja. Nonne idem cogitare & præstare debuisset auxilium, quo postea restituta est in integrum & quod vel vulgaris iste proposuit præstititque Chirurgus tertius (§. 16)? Nonne ergo hic illum suâ superavit arte & dexteritate?

§. 50. In mitiorem hæc (§. 49.) interpretanda sunt partem, æquius ferendum est iudicium nec adeo captiosum & celebriori inter nos Medico convenientius. In illius honorem hæc ad ista pressius regero : ossa non solum fracta iterum coalescere, sed & erosa destructaque reiteratâ naturæ operâ renasci, non latebat dexterrimum hunc Physicum. Idem dudum compertum habebat propriâ experientiâ, quam sibi comparavit longâ magnâque praxi satis exercitatus. Nec ipsum fugiebant observationes, quas habemus, notabiliores de tibiæ aliorumque ossium post insignem eorum destructionem feliciter regenerantium. Ossis autem in totum ferè corrupti & tibiæ præsertim tantam, quantam hanc fuisse suspicabatur laudatus Medicus, (quanta enim tum temporis actu adfuerit, nostrum non amplius est decernere) tantam, inquam, jacturam reparabilem esse speratu difficile est, observatu rarissimum, ut vix deprehenderis unum alterumque exemplum apud exquisitissimos rariorum observationum scriptores. Inde valde proclive fuit, in præsentī casu omnem abjicere spem hancque totam in totius pedis ponere resectione. Neque igitur objecta dicti chirurgi tertii in promittendo proclivitas, neque illius opera, id in recessu habet, quod suo illum anteponeret Medico. Pollicitationis hujus ratio temeritas potius fuit, quàm scientia. Quod præstitit, ut assolet, ex improvīso accidit.

§. 51. Pergamus in dogmatica allatæ historiæ consideratione (§. 23). Novum intercurrit medicationis intervallum. Dimissō nempe Medicō ægra pristinum (§. 13-15.) revocabat

cabat artificem. Decocta ista incongrua recoquebat & denuo sua applicabat epithemata. Hæc per integrum annum & ultra continuabat prætereaque nihil. Proh ! miseram plebeculam, dicamne fui adeo negligentem, an potiùs neglectam à salutis suæ tutoribus chirurgicis præcipue ? Quantâ corruptionis accessione tantô temporis intervallô adauctum hoc malum in pejorem partem detruferit miseram hanc cariosam, conjectu perquam facile est. Epithemata hæcce superficietenus adplicata parum aut nil juvabant, ad locum affectum neuti- quam penetrabant & infectam tibiam serpenti corrosioni relinquebant. Mireris, pedem hunc corruptioni cousque obnoxium, interea non planè emortuum fuisse, nec à trunco plane decidisse : Mireris, illum nihilo tamen minus in inte- grum restitutum fuisse. Mireris denique, quàm maxime in- speratam fortunam, quô id omne accidebat.

§. 52. En illam (§. 51) ! Accedebat inexpectatus pol- literator. Huic promte confidebat, huic nullis ingratiis sese committebat ægra. *Is enim multorum est solennior mos, ut jactabundis & magniloquis pollicitationibus longè promptiorem ha- beant fidem fidentiusque obediant, quàm ad ostentationem non compositis consiliis. Nec raro, quæ peculiaris est providentia, audax ejusmodi empiria superat artem apud innocentius ab hac derelictos.* Præterea noviter accersitus hic artifex à femina hac sine ulla recufatione facilem impetrabat veniam, quod- cunque secum suscipiendi, pedem à superiori ad imum con- cidendi ossaque limis, scalpris, cultris, forcipibus, pro lu- bitu radendi, exterebrandi, diffringendi nec ullis obstanti- bus

bus doloribus eximendi, rarô inter GERMANOS exemplô, *qui mori sæpius malunt, quàm ferrô tractari, ni hoc quidem quandoquidem admittant, ubi res ipsis ad vestim usque redierit.*

§. 53. Rebus itaque sic (§. 52.) stantibus nominatus heros suam animose adgreditur operationem, nec solùm insignem illam tibiæ portionem 9 - 10. pollices longam & universam ferè tibiam reliquam per fragmenta successivè evellit, superiùs ac inferiùs vix aliquâ relictâ ejus portione superstitite adhuc sanâ. An de reliquo naturæ subsidiô, annon potius fortunæ favore fretus, id omne executus fuerit, facile est conjicere. Minimùm ad exquisitioris artis chirurgicæ regulas non plane & ubique hæc esse peracta, certum est, nec dubitandum, quin ægra hæc breviori & mitiori methodô sanitati potuisset restitui.

§. 54. Utcunque verò hæc (§. 53.) sese habuerint, hóc tamen nomine laudanda est dicti chirurgi sedulitas & medendi ratio, quod funditus extirpare annisus fuerit, quicquid corruptum deprehendebat, (§. 16). Laudabilem quoque curationi finem imponere studebat. Obstaculis ita quomodocunque & vel crassiori operâ remotis suô officiô fungi poterat natura levioribus artis defectibus impediri nescia. En ! quâ ratione illa hîc superaverit empiriam.

§. 55. Haud verò empiriam solam sed & artem in hoc casu superstitem (§. 54.) superavit & superasset hanc omnino si vel fuisset exquisitissima. Quî enim hîc factum est, ut pes hic suum noviter recuperaverit fulcrum præcipuum, tibiæ os nempe usque deperditum ? ut durior hæc fabrica

intus

intus extusque suis iterum instructa fuerit integumentis vas-
sisque ad nutritionem suam necessariis? ut reliqua compa-
ges partium mollium musculosa, membranacea, vasculosa,
adeo destructa, ulceribus atque fistulis ubique erosa, iterum
succreverit? Nullius artis, solius contra naturæ, hoc est
opus. Quid enim hic præstitit, aut alia exercitior manus
chirurgica, nil tale exstruere valens, præstare potuisset aliud?
si discesseris ab eorum remotione, quæ naturam in suis im-
pediunt operationibus, quibus solis competunt ejusmodi
regenerationes.

§. 56. An vero regenerari quoque potuisset iterum hæc
tibia, vel nullâ, vel alterutrâ, numque facilius, vel superio-
re, vel inferiore, vel mediâ, ejus portione superstite? Di-
stincte ad hæc respondendum erit quæstiones. Ad
primam quidem: neutra si superfuisset hujus tibiæ extre-
mitas, forte plane non amplius, saltem difficillimè, si alteru-
tra tantum, si inferior maximè sola, certe difficilius restitui
potuisset. Nullum os in universum plane destructum regene-
rari posse videtur, saltem nondum ab experientia satis id constat
Cessavit forte primigenia virtus formatrix, & quæ
ad reiterandam ejusmodi evolutionem superest, in ipsius re-
generandi ossis reliquiis quibuscunque adhuc sanis quæren-
da est. Hoc vero similis habeo. Pro certo enim pronun-
tiare vix ausim, quia exempla habemus reiteratæ evolutio-
nis partium, durarum quoque v. gr. unguium, funditus
deperditarum. Alterutrâ autem omnino, quàm nullâ & su-
periore, quàm inferiore, destructâ ejus extremitate omino

fior non potest non esse regeneratio. Impeditior enim est succi officii adscensus, quàm descensus & ab utraque, quàm alterutrâ tantum parte accedens faciliorem & promptiorem reddit ossificationem. Num verò utrâque alicujus ossis cylindrici emortuâ atque deperditâ extremitate ex relicta intermedia parte illud regeneretur dictu difficilius est, affirmatu tamen, quàm negatu, probabilius.

§. 57. Quæ hujus regenerationis ratio? An hæc illâ primâ ossificatione imperfectior? Osseæ fibræ rigidæ sunt, nec ut aliæ ductiles. Tensæ igitur & humorum retro appellentium ictibus elongatæ succrescere nequeunt. Gelatinæ, quam ossa et cornua exsudent, tanta est visciditas, ut quinduplum æquè consistere cogat. Hæc elicitâ duriores hæ partes naturales friabiles redduntur. Succus osseus igitur de coagulabilis lymphæ natura est. Hic ex sana adhuc superfluite ossis vitiati parte per patula hujus interstitia continuo exsudans ipsi adhæret & exhalatâ aquâ superfluâ citò valde spifcescit atque in osseam duritiem mutatur. In noviter adglutinata hujus succi massa molliuscula necdum planè indurata à tergo pellens viam sibi parat, hanc permeans non modò debita relinquit interstitia, sed & per hæc ulterius efformando ossi pabulum adducit conveniens. Vasa quoque nutriendo ossi necessaria unà tum irrepere seque molliori adhuc compagi insinuare, ostendunt ita innovata ossa post mortem è cadaveribus educta & præparata, qualia satis curiosa ostendere solet PRÆSES in doctrinis suis osteologicis. Sed eadem quoque ad oculum demonstrant, quàm primam, reiteratam, ossificationem minus esse perfectam.

§. 58. Plura defino, sed plura objicis, super sunt. Super sunt, repeto, super sunt, addo, non plura, sed plurima, quæ hanc in rem possent dici. Benè ergo id mones, sed malè objicis. Sæpe sæpius tuam hanc audivi objectionem. Valde facilis ista est, & omnium facillima, sin quæ objiciamus, non habemus alia. Quis enim unquam, dixit scripsitve, cui nil potuisset addi? Equidem mihi meisque non ita cupio. Ipsemet addere, haberem, si vellem, longè plura. Plura autem nolo. Nolo ob finis & temporis rationem. Quid ultra vis? Adquiesce B. L. mecum hisce. Adde, si habes, si placet, si vacat, plura.

§. 59. Ast nullam, porro (§. 58.) addis, hîc video *literaturam*, paucas AUTOREM, qui de hac materia tractarunt, citationes. Hujus lardi farturis turgescere labores academicos, parum est, nec moris ampliùs, nec valde, nec semper utile, nec ubique est necessarium, nec fuisset hîc maximè. Ne verò plane deficiam hac in re, accipe AUTORES qui de carie lectu digniora habent, præcipuos, seu potiùs ex præcipuis aliquos.

§. 60. Qui ex istis (§. 59.) hîc vice subeunt, hi sunt: CELSUS L. VIII. C. 2. ABRAH. CYPRIANI *Diff: de carie ossium. Ultrajecti 1680.* FRID. HOFFM. *Diff. de carie ossium Hal. 1681.* G. W. WEDELII *Diff. de carie ossium len. 1713.* FRID. GODOFR. HEINTZE *diff. de carie ossium. Gryphswald. 1751.* Multa cariei exempla notabiliora refert DRANIUS in *observ. chirurg. in cubito obs. 51. 53. in lumbis obs. 69. post variolas obs. 70. in osse ilei obs. 95.*

in trochantere majore *obs.* 97. in genu *obs.* 102. 103, in tibia *obs.* 104. Exemplum cariei insignioris habet MEECKREN *obs. chirurg. obs.* 66. *Edit. Belg.* uti & *obs.* 69. edit. latin. Aliud videri potest in RUYSHII *observ. Museo anatom. pag.* 94. ac *Thesaur. anat. VIII. Tab. III.* ubi notabilis pars tibiæ fuit deperdita. Satis prolixam hujus mali delineationem SOCIETATI EDINBURGENSI exhibuit ALEX. MONRO, quæ legi potest in EXPERIMENTIS & OBSERVATIONIBUS EDENBURGENSIBUS. *Tom. V. artic.* 25. ubi unà communicavit succinctam hujus morbi historiam ab HIPPOCRATE ad nostra usque tempora deductam. JOH. FRANC. ISEZ *Quæstio medico chirurgica. An caries in extremitatibus ossium vix sanabilis? Resp.* BERN. NICOL. BERTRUND. *Paris* 1748. PETR. ROUSS. DE MONTEBOURG *Quæst. Medico chirurg. An in ossium carie delenda cauterium actuale Resp.* LUDOV. GUILLEMONIER. *Neg. Paris.* 1740.

§. 61. Hi (§. 60.) de carie externa (§.) 61. maxime tractarunt; de interna seu de spina ventosa vid. JOSEPH PANDOLPHINI. *Tractat. de ventositate spinæ sævissimò morbo, revisus, correctus & annotationibus illustratus* à GEORG. ABRAH. MERCLINO *Norimb.* 1674. 12. LUDOV. WALTHERI eines sehr merckwürdigen vorfalls des Winddorns an einem Mägdlein von 10. Jahren dabey die caries ossium, nach allen seinen Arten, Ursachen, Anfang, Fortgang und übrigen phænomenis, nebst allen Cur-Vorthailen nach heutigen Grundsätzen der Wundarzney beschrieben. *Leipzig* 1715. 8. PETRI de

de MARCHETTIS *Sylloge observationum medico-chirurgicarum, cum tractatibus tribus de ulceribus & fistulis ani, de ulceribus & fistulis urethræ & de spina ventosa. Petavii. 1664 & 1674. 8. Amstelod. 1665. 12. In germanicam quoque translatae linguam hæ observationes evulgatae sunt, Norimberg. 1676. 12. JOH. DAV. PORTII Tractat. de tumoribus & in specie de Spina ventosa 12. Leoward. 1679. MARC. AUREL. SEVERINUS sub titulo, de pædarthrocace in opere ejus de abcessibus. Neapoli 1632. & Francofurt. 1643. cum fig. it. Lugd. Balav. 1742. GANTH. CHR. Diff. d. Spina ventosa Kil. 1698. CHR. MICH. ADOLPHI trias dissert. chirurgicarum 1) de spina ventosa 2) de ligaturis dolorificis, 3) de morborum permancum attrectatam curatione Lips. 1730. JOH. PHILIPP. CHUNII Diff. d. Pædarthrocace Marp. 1697. JOH. DAN. GOHLII diff. d. Spina ventosa Halæ 1727. HENR. VICT. SCHMIDII Diff. de Pædarthrocace Lugd. Bat. 1721. WILH. HULDERIC. WALDSCHMIDII Diff. d. Spina ventosa; Kil. 1718. CONR. LUDOV. WALTHERI de Spina ventosa, casu admodum raro, explicatio, germanice c. fig. Lips. 1715. G. WOLFG. WEDELI Diff. d. Spina ventosa Jen. 1715. Francof. 1746. JOH. HERM. FURSTENAU Progr. ostendens spinam ventosam per exempla. Rintel. 1748. FRANC. ZIEGLER de Spina ventosa. Rintel. 1741. GE. ERH. HAMBERGERI diff. de Spina ventosa. Jen 1746. Peculiarem quoque curationem spinæ ventosæ recenset DR. SCHLICHTING in TRANSACT. PHILOS. Num. 466. §. 10. Ceterum novum hunc esse morbum, statuebat DN. PETIT (Chirurgus) juxta Comm.*

A. R. S. 1732. p. 311. seq. Eum vero postea refutabat Autor libelli: *Dissert. en forme des lettres au sujet des ouvrages de l'Auteur sur les maladies des os.* Autor vero hujus scripti, quod certum habeo, fuit FRANCISCUS JOHAN. HUNAULD.

§. 62. His (§. 6c6.) adde, si placet, omnes eos AUTORES, qui de *morbis ossium* scripserunt, inter quos referendi sunt v. gr. ex veteribus PETR. PAAW, qui edidit *commentaria in HIPPOCRATEM de capitis vulneribus cum explanationibus in aliquot capita Libri VIII.* CORN. CELSI, ubi de ossium morbis agit. 4. *Lugd. Bat.* 1616. Ex recentioribus JOSEPH. COURTIAL *observations anatomiques sur les os & sur leurs maladies* 8 *Paris.* 1705. HENR MELBOMII *Exerc. d. ossium constitutione naturali & p. n.* Helmst. 1658. Mr. Petit (Chirurgi) *l'art de guerir les maladies des os* 8. à *Paris* 1705. edit. 1. EJUSDEM *traité des maladies des os, dans lequel on a représenté les appareils, & les machines qui conviennent à leur guérison* 2. *Tom. 8. ibid.* 1723. Edit. 2. longe auctior & emendatior. Præcipuum sibi locum hic sibi vindicat JOH. CHRISTOPH. HEYNE de *præcipuis ossium morbis.* *Amstelod.* 1705. c. fig. 8. qui Autor egregiè egit de generatione & causis cariei teste ILL. HEISTERO in *Chir. maj.* edit. noviss. P. I. L. IV. C. VIII. & §. VI. (a) Palmam tamen huic præripuit, quem in catalogo HEISTERIANO nondum citatum lego, Mr. DU VERNEY in tractatu duobus tomis evulgato sub titulo: *Traité des maladies* par Mr. DU VERNEY *Docteur en Medecine, ancien Professeur d'anatomic*

anatomie & de chirurgie au jordin Royal, & membre de l'Academie Royale des sciences à Paris 1751.

§. 63. Si denique ne his (§. 60. - 62.) quidem omnibus subsistere tibi placuerit, perge evolvere alios quoque. Adi Scriptores chirurgicos, quos habere potes, omnes reliquos, qui integra scripserunt Chirurgiæ systemata, & proinde egerunt omnino etiam de morbis ossium, de carie &c. Confule illum, sine controversia illustrem, triumviratum, quem constituunt HIPPOCRATES, CLAUD. GALENUS PAUL. ÆGINETA. Subjunge GRÆCIS hisce è LATINIS CORN: CELSUM, ex ARABIBUS ALBU-CASAM ex LATINO - BARBARIS præ reliquis GUIDONEM DE CAVLIACO & JOHANN: DE VIGO. Subiunge his PARACELSI *chirurgiam magnam*. Ex GALLIS STAPH: GOURMELENUM, AMBROS: PARÆUM, ex ITALIS GABR: FOLLOPIUM, ANDR: à cruce, HIERON: FABR: AB AQUA-PENDENTE & VIDUM VIDIUM, *juniozem*. Ex GERMANIS ANDR. VESALIUM. Progredere ab hujus decimi sexti ad septimi post decimum seculum Auctores chirurgicos PARMAM PECCETIUM, CORTESIUM, SEVERINUM DE MARCHETTIS, JESSENIUM, FIENUM, HILDANUM, SCULTETUM, VAN HORNE, SOLINGEN, alios. Accerfe ex recentissimis PETR. DIONIS GUIL. MAUQUEST, DE LA MOLTE, JAC. CROISSANT, GARANGEOT, HENRY le DRAN,

DRAN, SAVIARDUM, CHABERTUM. GAL-
 LIS hifce adde ex ITALIS PHIL. MASIERIUM,
 SEBAST. MELLI; è GERMANIS MATTHÆUM
 PURMANNUM, JOH. PALFYN, JOH. DE GOR-
 TER, & denique exercitatiffimos Chirurgiæ Profeffores
 LAUR. HEISTERUM atque JOH. ZACH. PLAT-
 NERUM: Sin *alphabetaria* mavis *refugia* & *ultra vocabularia*
 non fapis, evolve *lexicographos* v. gr. FRID. MULLERI
Lexicon vel gründliche Erklärung *ALPHABETIS*
GEN D medicinifcher Nahmen. Francof. ad Mœnum 1661.
 fol. JOH. BAPT. COLLARD DE LA DUC QUERIE *Lexi-*
con medicum universale etymologicum & philologicum in quo unde-
 cies mille vocabula enucleantur. In *scriniis* adhuc latere hoc
 Manuscriptum dolet KESTNERUS, fed forte non amplius
 latet plane, forte sub aliorum nominibus ut alia & hoc pro-
 diit *vocabularium*. Vellem, fi poffem fine opprobrio, citare
 confimilia; fed parcendum sæpe eft quibusdam. Mitto ergo ali-
 bi forte apertiùs dicendos ejusmodi HOMINES ALPHABE-
 TARIOS. Quære jam citatos in KESTNERI *Bibliotheca*
medica P. II. C. VIII. f. 1. l. 1. & in LAUR. HEIST.
Bibliotheca chirurgica, & videbis nominatorum AUCTO-
 RUM scripta, horumque fcriptorum editiones, has fume
 ex tuis vel aliorum *scriniis*, jam fingulorum librorum per-
 quire indices, ad hos evolve textus de *carie*, & ubique
 invenies, quos poffis citare Autores & citare unum eun-
 demque Autorem plus unâ vice & pluribus in paginis, fic-
 que quorundam more *citationibus*, fi non omnes, multas
 tamen, paginas ita replere, ut in multis vix opus habeas
 unam alteramve lineolam de tuis addere. Hem! quàm facile
 fit ejusmodi edere literaturæ fpecimina.

T A N T U M.



NOBLISSIMO DOCTISSIMOQUE DOMINO

CANDIDATO,

FAUTORI & AMICO ÆSTUMATISSIMO

S. P. D.

PRÆSES.

R Ariora morborum exempla ob ipsam suam raritatem dicam ne? an potius ob incuriam, vel memoriam nostram adeo labilem, rarò debitam attentionem & proinde non minùs rarò paratam deprehendere medelam, haud rara loquitur experientia. Ex hac itaque ratione morbos rariores notatu esse digniores, nemo ibit inficias. Rariùs, cariei hujusque remotionis esse exemplum, de quo communicando sollicitus fuisti, NOBILISSIME DN. CANDIDATE! tam *Ephemerides Naturæ Curiosorum*, aliàs completissimæ, quàm *systemata* majoris nominis virorum *chirurgica*, vel vastissima, luculenter evincunt, utpote in quibus vel frustra planè quæsi veris, vel difficilè deprehenderis, tanti momenti exempla. Hunc defectum vel ipsa testatur recentissimæ limæ chirurgia HEISTERIANA, ceteroquin amplissima omnique laude quàm dignissima. Allegantur quidem in ejus P. I. L. V. C. IX. quædam ex aliis exempla notabiliora, nullibi verò expressiùs docetur, tantam& integrorum fere majorum ossium jacturam posse restitui. Quid? quod l. c. §phus XVI. ita infit: *Quod si igitur carie graviùs erosum os aliquod fuerit, vel si ad articulum aliquem, genu videlicet, pedis atque manus, vitium illud transierit, miserum, sed unicum, auxilium est. . . . membrum vitiatum, aut corruptum rescindere. . . . At tamen quando in majoribus ossibus non totum os, sed pars tantummodo aliqua ejus exterior, sive lateralis, corruptum est, ut . . . tibiæ. . . non mox totum membrum . . . auferendum est.* Sed in nostro exemplo carie graviùs & ad articulum usque erosa est tibia nec tantummodo aliqua ejus pars exterior, sive lateralis, verùm fe-

re integra duas inter extremitates media. Ita dies diem docet. Nec, quod hîc moneo, famæ tanti Chirurgiæ Professoris, inter *Germanos* facile principis, aliquid detrahit. In doctrinæ nostræ incrementum hac in causa puellæ nostræ exemplo quàm maximè addi merentur consimilia fere exempla, quæ solertissima dexterrimaque SOCIETAS EDINBURGENSIS, in publicos vsus nata, communicavit. *Tom. I. No. 23. & Tom. V. No. 25. p. m. 485. edit. germ. & ibid. No. 41.* Omnia heic citata exempla, non solum ob notabilem ossis alicujus jacturam restitutam, sed & ob ipsius mali sedem, huc quadrant. In primo nempe tota tibiæ pars media, in secundo portio ejus pollices transversos longa, in tertio notabilior pars per fragmenta, in quarto integra adeo tibia, consumpta, emota & recuperata fuit. Discamus hisce exemplis, NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE! discant istis nobiscum, quos veneramur & amamus, commilitones nostri. Intelligamus inde omnia ad artis nostræ regulas sollicitius, quàm assolet, tentanda prius esse, quàm ad amputationes, ad alia extrema, progrediamur. Attius menti nostræ imprimamus, quanta ista sint, quæ nescimus & quanti momenti illud HIPPOCRATICUM: *Ars longa, vita brevis.* Hoc indies magis experieris in futura TUA Praxi, quam proximè sub auspiciis EXCELENTISSIMI DEXTERRIMI atque EXPERIENTISSIMI PATRIS TUI adgredieris. Sub hac supple, quæ deficiunt. Deficiunt autem, & mihi, & TIBI, multa sanè. Nullus enim studiorum nostrorum datur finis. Perge ea, quâ frequentasti prælectiones nostras publicas, sedulitate, frequentare ægros quoque, qui TUÆ sese committent curæ. Præbe TE ad omnia, quæ eorum postulat salus, attentum. Utere sub hac attentione OPTIMI PATRIS TUI consiliis. Si quæ habebis, si quæ habebitis, ad artis incrementum spectantia notatuque digniora, ut mutuis officiis ista communicetis nobis, communicetis publico, oro rogoque, & privatò, & publicò nomine. Hisce TE TUOSQUE valere atque ab omni parte quàm beatissimos esse jubet seque de meliori commendat nominis BROTBESCKIANI observantissimus.

è Museo d. 22. May. 1756.